ISAIAS MIT GLOSSA ORDINARIA, UNVOLLSTäNDIG

Entstehungsort unbestimmt, 12. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35468
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



Hæc dicit dominus deus sabaoth. Nonne hæc magis ieiunium quod elegi. Dissolue colligationes impietatis. solue fasciculos deprimentes. dimitte eos qui confracti sunt liberos. nonne omnis diuide esurienti panem tuum. Frange esurienti panem tuum. et egenos uagosque induc in domum tuam. cum uideris nudum operi eum. et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum. et sanitas tua cito orietur. Iustitia tua ante faciem tuam ibit. et gloria domini colligetur te. tunc inuocabis et exaudiet te adhuc loquente dicet ecce adsum. Si auferas de medio tui compedem et porrigas esurienti panem animam tuam. et saturabitur in siccitate anima tua. et ossa tua quasi herbidum. Et erit quasi fons aquarum cuius non deficient aquæ. Et ædificabunt de te solitudines antiquas. fundamenta in generatione et generationem. Et uocabitur tibi ædificator. Si auertas a sabbato pedem tuum. Si uocaueris sabbatum delicatum. Si honorabilem dixeris sabbatum domini. Si honorabilem dixeris eum. Si non feceris uias tuas. Si non inueniatur uoluntas tua. Si non loquaris sermones tuos. Tunc ascendere faciam te super altitudines terræ. Et cibabo te hereditate iacob patris tui. Quia os domini locutum est.